

qualitatum intensionem ad formam viuentis, & nondum aliqua pars materiae est disposita, in qua non potest acquirere formam viuentis, neque preexistentem conseruare, quia ad illam conseruandam caret dispositionibus requisitis. Neque valet dicere, quod forma ad partum tempus potest sine proprijs dispositionibus conseruari, nam forma substantialis æque est dependens, vel independens a dispositionibus in omni tempore, & quodlibet temporis instanti; quapropter si posset in uno instanti sine debitiss dispositionibus conseruari; ergo in omni.

50. Obiectio 3. si materia prima daretur, & esset sine forma existens naturaliter, ipsam et materia esset, & non esset substantialia; at hoc implicat; ergo implicaret etiam, quod si materia daretur absque illa forma substantiali existeret. probatur maior ab adversariis, ex eo quod esse substantiale habetur totum a forma.

Respondeo, nego maiorem; ad probationem eius dico falsum esse, quod totum esse substantiale dependeat a forma, quia forma, ut forma substantialis est, educitur de materia, quod fieri non posset si materia ex se substantia non esset, & entitas, qua esset sui iuris, ut pluries in antecedenti demonstrauit.

51. Obiectio 4. materia prima, si daretur, deberet esse sub determinata specie, sed sine forma hoc habere non posset; ergo nec sine illa existere posset.

Respondeo, concedo maiorem, nego minorem, & consequentiam; iam enim huic argumento responsum fuit supra subiect. antecedenti n. 27. videlicet quod non est materia prima, quae ponitur in specie determinata a forma, sed totum compositum, nam materia prima, si daretur, per se ipsam poneatur in specie determinata distincta a forma, sicut forma ponit seipsum in specie distincta a materia, videlicet una per esse perfectibile, & alia per perfectum; potentia namque physica includens actum entitatum potest existere sine forma, & ab eadem, ut ab actu formali, specie distinguitur. Concludo ergo, quod si daretur materia prima in natura, & forma substantialis aristotelica, illa posset naturaliter existere, & conseruari sine ista.